

præsentiam. Atqui dogma peripateticum est, in mixto remanere qualitates elementorum. Ergo si sibi constare velint Scholastici, formas pariter elementorum agnoscant, necesse est.

Resp. dist. Major. Ubi cumque adsunt qualitates illæ in gradu et modo, quo inesse solent propriis substantiis, ibi jure concludimus ejusdem substantiæ præsentiam, *conc.*; si adsint in gradu et modo diverso, *neg.*

Et *contradist. Minor, neg. conseq.*

Hanc difficultatem jam diu præoccupaverat Card. Toletus: «Qualitates hæ in summo sunt passiones elementorum, ita ut nullibi sit qualitas horum ulla in summo gradu, ubi non sit elementi forma, at extra summum etiam aliis subjectis inesse possunt, quæ eandem cum elementis materiam habent» (1). Id porro locum habet in mixtione, in qua ex Aquinatis et communissima veterum sententia remanent quidem elementorum qualitates, sed remissæ, temperatæ vel, si mavis, *neutralizatæ*; mixtio enim esse non potest, nisi *remissis excellentiis qualitatum elementarium constituatur ex eis quædam qualitas media*, quemadmodum loquitur S. Thomas. *Et hæc quidem qualitas est propria dispositio ad formam corporis mixti, sicut qualitas simplex ad formam corporis simplicis* (2).

Dices. Ex hac qualitatatum contemperazione, remissione, ac *neutralizatione*, nonne infertur neutralizatio ac remissio formarum actu tamen existentium? **Resp.** Ita quidem inferebat Averroes apud Angelicum Doctorem (3), qui tamén id absurdum esse reputat. Formæ enim neutralizatæ et secundum propriam substantiam attemperatæ, jam non amplius in pristina conditione remanent incorruptæ, sed in alias specificè diversas sunt immutatæ; forma siquidem substantialis magis et minus suscipere nequit, prout jam probatum manet in *Ontologia* (4).

Objic 5.^o Peripatetici, Aristotelem secuti, elementum ita definiverunt, ut de ratione ejusdem sit, ut in mixto contineatur. Ergo.

(1) Loc. nup. cit.

(2) *De Mixtione element.*

(3) In eodem Opusc. *de Mixtione element.*, et in lib. 1 *de Gent. et corr. lect. 24.*, et alibi sæpe.

(4) Vide *Ontol.* n. 280 pag. 816.

Resp. dist. antec. Et simul etiam communiter declarant Peripatetici ad rationem elementi non requiri, ut *formaliter* et actu in composito insit, sed sufficere, ut sit *virtualiter* et in potentia, *conc.*; secus, *neg.* (1).

Objic. 6.^o Aristoteles contradicit aperte virtutem tantum et non formalem elementorum in mixto existentiam agnoscantibus.

Resp. Non defuerunt inter priscos auctores, qui mentem Stagiritæ aut ambigam, aut etiam sententiæ nostræ adversam, judicarent. At vero non solum S. Thomas, Toletus, Rubius, Conimbricenses et Sylvester Maurus in suis in Philosophum præstantissimis commentariis, verum etiam reliqua Peripateticorum cohors communissime suum protoparentem vindicarunt, recteque sunt interpretati. Nos specialem de hac re controversiam instituire nolumus, tum quia brevitati consulimus, tum etiam quia eum honorem soli Aquinatis reservamus. Si quis tamen hanc penitus causam cognoscere cupiat, legat inter alios Cardinalem Toletum (2), Suarezium (3), Cardinalem de Aguirre (4), et P. Cosmam Alamani (5). Quamquam omnia fere loca, quæ ex Aristotele contra propugnatam a novis doctrinam oggerunt, et ex hactenus dictis et ex dicendis circa S. Thomæ sententiam, haud difficilem habent solutionem.

ARTICULUS V.

Quænam fuerit mens S. Thomæ super elementorum in mixto existentia.

138. Neminem hactenus legi ex antiquis DD, qui de Aquinatis mente vel minimum dubium moveret in præsentem

(1) Sic objectionem istam solvit Aristoteles et S. Thom. in lib. 1 *de Gen. et Corr. lect. 24.*

(2) In lib. 1 *de Gener. et Corr. cap. 10, q. 17.*

(3) In citata disp. 15 *Metaph. sect. 1, n. 53-60.*

(4) *Philosophia Nova-Antiqua, seu Disputationes in Univ. Aristotelis Physiologiam*; tomo posterior., disp. 62.

(5) *Summa totius Philosophiæ e D. Thom. Aquinatis Doctoris Angelici doctrina, secunda secundæ partis, de Gen. et Corr. quæst. 42. art. 4.*

controversia. Sunt autem his diebus nonnulli viri, non minus eruditi, quam scriptis operibus clarissimi atque optime de scientiis meriti, qui doctrinam de virtuali dumtaxat elementorum in combinationibus perseverantia non modo ut inventis chemicis inimicam, verum etiam ut sinceræ ac germanæ doctrinæ Aquinatis adversam totis profligare viribus conentur. Quæ certe opinio si vera est, non solum patrocini-um nobis eripit Angelici Doctoris, sed etiam oscitantia notam aut ingenii in assequenda mente scriptorum minus felicitis inurit Scholasticis, nec recentioribus tantum, sed innumeris præterea iisque gravissimis retro actorum sæculorum Philosophis, qui volumina S. Thomæ diurna nocturna-que versabant manu, otiosa attentissimaque meditabantur consideratione. Operæ pretium est ergo, ut quæstionem hanc diligenter pertractemus, ac tanti Doctoris mentem non ex interpretum cognoscamus auctoritate, sed ex verbis ipsis, intus latentium conceptuum sinceris interpretibus, derivemus.

PROPOSITIO. S. Thomas eam perpetuo tenuit doctrinam, quæ statuit elementa in mixto secundum ESSENTIAS ET FORMAS corrumpi, ideoque negat illa actu FORMALITER in composito substantiali permanere.

S. Thomas
elementa in
mixto virtualiter
dumtaxat
existere semper
docuit.

Prob. 1.^o S. Thomas sæpe Avicennæ atque Averrois opiniones refert, docentium formas elementorum in mixto permanere. Atqui huiusmodi doctrinam iisdem in locis ut suæ doctrinæ oppositam constanter excludit. Ergo.

Major constat ex *Summa theologia* (1), ubi sic scribit: *Ad quartum dicendum, quod Avicenna posuit formas substantiales elementorum integras remanere in mixto, mixtionem autem fieri, secundum quod contrariæ qualitates elementorum reducuntur ad medium. Averrores autem posuit in 3.^o de Cælo (Comm. 67), quod formæ elementorum propter sui imperfectionem sunt mediæ inter formas accidentales et substantiales, et ideo recipiunt magis et minus, et ideo remittuntur (2) in mixtione, et ad medium reducuntur et*

(1) 1 p. q. 76 a 4 ad 4.^{um}

(2) Id est remanent aliquantulum, vel non manent secundum suum complementum, sed in quodam medium reducuntur, ut habetur in

ex eis conflatur una forma (1). Ex quibus patet Avicennam et Averroem in eo consensisse, quod formas elementorum in corruptas in composito superesse existimaverint; in eo autem discrepasse, quod primus formas illas integras prorsus et completas, alter remissas et factas debiliores asseruerit.

Minor etiam constat. Nam S. Doctor Avicennæ sententiam vocat *impossibilem* (2), Averrois autem *magis impossibilem* (3), *multipliciter impossibilem* (4), et *ridiculam* (5).

Prob. 2.^o Angelicus Doctor varia sequitur capita doctrinæ, quæ pugnant cum formali elementorum in mixto existentia. Ergo.

Prob. antec. 2) S. Thomas sæpe supponit, ac docet mixtionem veram possibilem esse, ac porro dari. Atqui aliunde docet veram mixtionem haberi non posse, si formæ elementorum in composito perseverent. Ergo.

Major constat ex variis locis, in quibus postquam mixtionem dari docuerat, modum quærit, *quo et veritas mixtionis salvetur, et tamen elementa non totaliter corrumpantur, sed aliquantulum in ipso remaneant* (6). Idem etiam supponit S. Doctor, cum explicat generationem mixtorum (7).

Minor facillime probatur. Nam in primis adversus Avicennæ opinionem modo recitatam duas urget rationes, quæ super hoc tantum vertuntur cardine: *Si igitur mixtio fiat remanentibus formis simplicium corporum, sequitur quod non sit mixtio, sed solum ad sensum* (8). Similiter adversus Empedoclem

habetur in Opusc. de *Mixtione elementorum*, et lib. 1 de *Gen. et Corr.*, lect. 24, quibus in locis eadem referuntur opiniones.

(1) Vide etiam loca nup. cit.; et quæst. de *Anima*, art. 9 ad 10.^{um} *Quodlibet* 1.^o quæst. 4, art. 6 ad 3.^{um}

(2) 1 p. q. 76. a. 4 ad 4.^{um}; de *Mixtione elementorum*; de *Gen. et Corr.*, lib. 1, lect. 24; *Quodlibet*, loc. cit.

(3) 1 p. q. 76. loc. cit.; *Quodlibet*, ib.

(4) Opusc. de *Mixtione elementorum*; lib. 1, de *Gen. et Corr.*, locis citatis.

(5) *Quest. de Anima*; de *Mixtione*; lib. 1 de *Gen. et Corr.* loc. cit.

(6) Vide lib. 1 de *Gen. et Corr.*, lect. 24; et Opusc. de *Mixtione elementorum*.

(7) Lib. 2 de *Gen. et Corr.*, lect. 8.

(8) In lib. 1 de *Gen. et Corr.*, lect. 24. Adde ib., lect. 25, et loca superiora citata; itemque, lib. 3 de *Cælo et Mundo*, lect. 8, ubi explicat elementi definitionem; *Contra Gentes*, lib. 4, cap. 35; lib. 2, cap. 56, argum. 2 etc.

disputans, hac eadem post Aristotelem utitur ratiocinatione: Illi qui dicunt scilicet elementa esse intransmutabilia, sicut Empedocles dicit, non possunt assignare modum, quomodo corpora mixta componantur ex elementis. Necesse est enim secundum eos, quod compositio elementorum sit quaedam mixtura talis, qualis est mixtura lapidis in pariete. Dicunt enim quod elementa salvantur in mixtio secundum formas substantiales (1).

β) S. Thomas docet plures formas esse non posse in eodem corpore. Atqui si in mixto forent elementorum formæ, id contingeret. Ergo...—Minor constat; et Major centies a S. Doctore repetitur, ut compertum est omnibus. Hoc principium majoris propositionis usurpavit S. Doctor ad demonstrandum, non esse in homine nisi unam animam, nimirum intellectivam (2); additque similiter esse dicendum de anima sensitiva in brutis, et de nutritiva in plantis, et universaliter de omnibus formis perfectioribus respectu inferiorum (3). Quod vero hæc doctrina a S. Doctore applicata sit etiam ad corpora mixta, patet tum ex modo exscriptis verbis, tum ex eo quod cum contra eam sibi in utroque loco opposuisset exemplum mixtorum, in quibus elementa dicenda sunt manere formaliter, respondit ita quidem docuisse Avicennam, sed id verum non esse.

γ) S. Doctor sæpissime utitur principio illo peripatetico: Generatio unius est corruptio alterius. Atqui doctrina ejusdem est, eaque communis, in productione mixti dari generationem. Ergo... Hanc argumentationem adhibet Aquinas in Quodlibeto primo, sic scribens: Unde dico, quod adveniēte anima humana, tollitur forma substantialis, que prius inerat; alioquin generatio esset sine corruptione alterius, quod est impossibile (4).

δ) S. Thomas in Summa contra Gentes hæresim refutat Eutychetis, qui ut unitatem personæ contra Nestorium servaret in Christo, dicit in Christo esse etiam unam naturam illa, quod, quamvis ante unionem essent duæ naturæ distinctæ, divina

(1) Lib. 2 de Gen. et Corr., lect. 8.

(2) 1 p. q. 76. a 4; et Quodlib. 1, a 6.

(3) 1 p. q. 76. a 4.

(4) Art. 6 in corp.

et humana, in unione tamen coierunt in unam naturam (1). Ut porro pestilentem hanc doctrinam excluderet, distinxit Angelicus varios modos, secundum quos ex multis natum est unum fieri (2); ostenditque nullo ex illis modis unam existere potuisse in Cristo naturam. Cum vero ad modum mixtionis excludendum ventum est, ita tertio loco ratiocinatur: Tertio, quia dato quod fieret mixtio, neutra natura remaneret salva; miscibilia enim in mixto non salvantur, si sit vera mixtio; facta igitur permixtione utriusque naturæ, divina scilicet et humana, neutra natura remaneret, sed aliquid tertium: et sic Christus non esset Deus neque homo. Non igitur sic potest intelligi, quod Eutyches dixit, ante unionem fuisse duas naturas, post unionem vero unam in Domino N. Jesu Christo, quasi ex duabus naturis sit constituta una natura (3). Atqui tota hæc doctrina evidenter ostendit, qualis fuerit mens Aquinatis circa elementorum existentiam in mixto. Et probo, quia in primis verba ipsa sat manifesta sunt: Neutra natura remaneret salva; Miscibilia non salvantur in mixto, si vera sit mixtio. Præterea si S. Thomas atomistarum placita circa mixtionem secutus fuisset, argumentatio ipsius contra Eutychen non modo fuisset frigida, sed in ipsum tota quanta retorqueretur. Nam id voluit apertissime S. Doctor evincere, si ex duabus naturis una in Christo resultavit eo modo, quo in mixtione ex pluribus elementis unum resultat, non posse explicari ea,

(1) Lib. 4, cap. 35 initio.

(2) In tertio argumento.

(3) Loc. cit. Chr. 3 p. q. 2, a. 1. Hanc eandem argumentationem usurpaverat jam pridem S. Joann. Damascenus (lib. 3 de Fide orthod. c. 3) adversus eosdem Monophysitas, ita scribens: Composita natura cum neutra illarum naturarum, ex quibus conflata est, consubstantialis esse potest, ut quæ ex aliis aliud facta sit. Exempli gratia: corpus quod ex quatuor elementis constat, nec ejusdem esse cum igne substantiæ dicitur, nec ignis appellatur, nec aer vocatur, nec aqua, nec terra, nec eandem cum ullo horum substantiam habet. Quocirca si post unionem Christus, ut hæreticis placet, unius compositæ naturæ existit, ex simplici natura in compositam versus est. Ita nec Patri, cujus simplex natura est, consubstantialis erit, nec Matri, quippe quæ ex deitate et humanitate composita non est. Opp. tom. 1. edit. Paris ann. 1712, pag. 205-206, ubi duorum aliorum PP. pro eadem doctrina loca laudantur.

quæ fides docet de humana Christi et divina natura integre permanentibus, unde fit, ut suppositum hoc, Christus, sit verus Deus et verus homo, quamquam non *solum* Deus, nec *solum* homo. Jam vero si mixtio fieret, ut volunt atomistæ, optime posset intelligi, quomodo Christus, etiamsi conciperetur ad modum mixti cujusdam ex divina et humana natura, utramque hanc naturam integram conservaret, atque adeo vere esset Deus, licet non *solum* Deus; et vere esset homo, licet non *solum* homo, sed Deus homo in unitate suppositi.

Prob. 3.^o S. Thomas non raro nodum hunc sibi solvendum proponit, quomodo si, vera detur mixtio elementorum, possint in mixto elementa permanere. Atqui ubicumque eam tractat quæstionem, doctrinam evolvit cum atomistica doctrina pugnantem. Ergo.

Probatur Minor: 2) quia solutionem quæstionis ab Avicenna datam refert, ac rejicit, ut nuper vidimus. 3) Avicennæ solutione exclusa, concludit oportere alium modum invenire, quo veritas salvetur mixtionis, et elementa non totaliter corrumpantur, sed aliquantulum in mixto permaneant (1). Modus porro, quem invenit, hic est: Sic igitur virtutes formarum substantialium salvantur in corporibus mixtis. Sunt igitur formæ elementorum in mixtis non actu, sed virtute, et hoc est quod dicit Philosophus in 1. de Gener.: Non igitur manent elementa in mixto actu, ut corpus et album; nec corrumpuntur, nec alterantur ambo, nec alterutrum; salvatur enim virtus eorum (2). Vel ut loquitur in quæstione de Anima: Nec dicendum est, quod totaliter corrumpantur (elementorum formæ), sed quod maneant virtute, ut Aristoteles dicit, hoc est, in quantum manent accidentia propria elementorum secundum aliquem modum, in quibus manent virtutes elementorum (3). Jam ista verba: Formæ actu non manent, Non totaliter corrumpuntur, sed manent virtutes, quem, quæso, sensum præ se ferre possunt in eo loco, in quo discrete refutatur

(1) De Mixt. elem.; in lib. de Gener. et Corrupt., lect. 24; quæst. de Anima, a. 9, ad 10.^{um} etc.

(2) De Mixt. elem.; loc. cit.

(3) Art. 9, ad 10.^{um} Cfr. Quodlib., q. 4, a. 6; 1 p., q. 76, a. 4 ad 4.^{um}; de Gener. et Corrupt., lib. 1, loc. cit.

doctrina Avicennæ et Averrois, nisi eum quem nos contendimus? Quid sibi volunt illa alia verba: *Non... manent elementa actu, ut corpus et album?* Nam cum S. Doctor mixtionis naturam et differentiam ab aliis variarum rerum unionibus exponit (1), hoc eodem albedinis et corporis albedine affecti exemplo utitur, ut demonstret accidentis unionem cum subjecto non esse mixtionem: et hanc affert rationem; quia tam corpus, quam albedo in sua propria essentia inalterata remanent post illam unionem. *Et ratio hujus est, inquit, quia ambo, scilicet tam accidens, quam subjectum, videntur esse soluta et non alterata* (2).

γ) Quasi vero hæc clara satis non essent, audi Aquinatem totidem verbis docentem *formas elementorum*, seu *elementa quoad formas* corrumpi. Nam commentarium suum in lib. primum de Generatione et Corruptione hoc epilogo claudit S. Doctor: *Deinde cum* (Aristoteles) *dicit: Manifestum igitur, recapitulat quæ dicta sunt de mixtione: per quod etiam quarta quæstio declaratur, quæ fuit primo proposita in principio hujus capituli, dicens manifestum esse ex his, quæ dicta sunt, et quod est mixtio, et quid est, et quare est... Et dictum est etiam, quæ sunt miscibilia. Dictum est etiam quod ad hoc, quod sit mixtio, necessarium est, quod miscibilia non sint simpliciter corrupta, nec sint simpliciter eadem, ut prius: sunt enim corrupta quantum ad formas, et remanent quantum ad virtutem, ut supra ostensum est* (3). Et paucis interjectis: *Palet etiam, quod mixtio est miscibilium alteratorum unio. Quæ quidem alteratio solum est intelligenda in virtutibus sive qualitatibus eorum. Sed si etiam alteratio sumatur improprie, mixtio est miscibilium alteratorum et corruptorum secundum formas unio* (4). Et in eodem libro alibi ex Aristotelis et propria sententia sic describit differentiam inter mixtionem et augmentum corporis per nutritionem. *Deinde cum* (Aristoteles) *dicit: Secundum autem, ponit differentiam mixtionis ad alios motus. Et primo ad augmentum, dicens, quod secundum eundem modum non dicimus cibum*

(1) De Gen. et Corr., lib. 1, lect. 24.

(2) Ibid.

(3) Lect. 25.

(4) Ibid.

misceri corpori; quia *cibus transit in dominans corpus, quod manet secundum formam, sed neutrum miscibilem ita manet sicut corpus cibatum, scilicet ināvisum, et specie nullo modo alteratum: et sic patet, quod mixtio differt ab augmento* (1). Tandem in eodem opere (2) explicans Doctor Angelicus modum, quo mixta generantur, hæc scribit: *Secundum est, quod quando alterum elementum fuerit simpliciter actu, et alterum simpliciter in potentia fuerit, tunc non potest esse mixtio: quando vero unum non est omnino actu, nec per excessum prædominatur alteri elemento, tum generabitur quoddam medium, quod nec est simpliciter frigidum, sed quodammodo naturam participans utriusque. Et hoc ideo, quia quando elementa miscentur, intentiones sive formæ corrumpuntur, et remanent virtute: et tunc illud medium generatum non est sic in potentia, sicut materia, nec simpliciter alterum elementum, sed medium inter ea* (3).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

139. *Objic. 1.^o S. Thomas Aristotelem exponens in hunc modum loquitur: Dicit (Aristoteles) ergo primo, quod omnia corpora mixta, quaecumque sunt circa medium, quod est terra, necessario sunt composita ex omnibus simplicibus, quæ sunt quatuor elementa, et quod in omni corpore mixto sit terra, idque ibi probatur. Dein pergit. Quod autem aqua sit in quolibet mixto, probat ex hoc... Tandem sic concludit: Terra ergo et aqua propter dictas causas sunt in corporibus mixtis...* (4).

Resp. neg. simpliciter consequ.: vel si mavis dist. sensum objectorum locorum. Et S. Thomas et Arist. dicunt hic elementa existere in mixto actu et formaliter, neg.; potentia et virtualiter, conc. Nimirum verba objecta ex eo loco desumpta sunt, unde nos superius thesim nostram probavimus, et in quo docet Angelicus, ex Empedoclis sententia non posse sustineri veritatem mixtionis: Dicunt enim (Empedoclis asselæ) quod elementa salvantur in mixto secundum formas

(1) *Ib. lect. 24.*(2) *De Gener. et corrupt., lib. 2, lect. 8.*(3) *Cfr. initium hujus lectionis 8.^a, ubi sententia hæc de corruptione elementorum secundum formas appellatur vera.*(4) *In lib. 2.^{us} de Gen. et corr. lect. 8.*

substantiales et actus suos. Et paulo post hæc ita pergit: *Quando elementa miscentur, intentiones sive formæ corrumpuntur, et remanent virtute.*

Instabis. Existere virtute et potentia, non est vere existere. Atqui in objectis locis elementa dicuntur *esse in mixto.* Ergo.

Resp. dist. Esse virtute et potentia, non est vere existere, id est non est existere secundum essentiam et speciem, *conc.*; non est existere saltem aliquo modo, *neg. vel subdist.*; existere virtualiter et in potentia *mere passiva*, seu in mera possibilitate et non repugnantia, ut producat ab idonea causa, *conc.*; existere virtualiter et in potentia, quasi in dispositione activa, ut vidimus supra ex Suarezio aliisque, ratione qualitatum et virium elementarium, quæ corruptis essentialiter elementis, adhuc in mixto remanent, *neg.* Et hæc satis patent ex dictis superius (1). Certe locutio hæc, quod *formæ corruptæ sint*, et quod *elementa non salvantur in mixto secundum formas substantiales*, non significat elementa substantialiter integra manere; locutio vero hæc alia, quod *elementa sint in mixto*, non necessario significat, quod elementa sint *formaliter et totaliter* in composito; cum potissime scripserit S. Doctor elementa *non omnino* corrumpi, sed *aliquo modo manere.* Cum ergo non solum in eodem opere, sed in uno eodemque capite docuerit Aquinas et formas corrumpi, *elementaque non salvari in mixto quoad formas substantiales*, et simul tamen *elementa inesse in composito*; recta ratio docet, ut hæc elementorum in mixto existentiam, non pro formali, sed pro virtuali existentia capiamus, quemadmodum ipse S. Thomas hujus nobis interpretationis est auctor.

Objic. 2.^o S. Thomas hanc reddit rationem, cur hominis primi corpus de limo terræ fuerit productum. Homo est ex rebus omnibus quodammodo compositus, dum de genere spirituum substantiarum habet in se animam rationalem, de similitudine vero celestium corporum habet elongationem a contrariis per maximam æqualitatem complexionis; elementa vero secundum substantiam, ita tamen, quod superiora elementa

(1) *In artic. 4.^o*

prædominantur in eo secundum virtutem, scilicet ignis et aer, quia vita præcipue consistit, in calido, quod est ignis, et humido, quod est aeris. Inferiora vero elementa abundant in eo secundum substantiam. Aliter enim non posset esse mixtionis æqualitas nisi inferiora elementa, quæ sunt minoris virtutis, secundum quantitatem in homine abundarent. Et ideo dicitur corpus hominis de limo terræ formatum, quia limus dicitur terra aqua permixta (1). Ergo dicendum est juxta S. Thomam elementa secundum substantiam in mixto permanere.

Resp. dist. conseq. Elementa in eo loco dicuntur permanere secundum substantiam totalem, nimirum materiam et formam, *neg.*; secundum substantiam partialem, nimirum materiam primam affectam virtutibus elementorum propriis, alteratis tamen et in medium redactis, *conc.* «Cave hic ne fallaris, inquit Card. Cajetanus in hunc locum, ex hoc articulo putans S. Thomam oblitum doctrinæ propriæ de mansione elementorum in mixto, propterea quod hic expresse dicit elementa in homine secundum substantiam. Advertendum est enim ad rationem dicendi; ut autem patet in littera, dixit hoc ad differentiam corporum cælestium, quæ non nisi secundum aliquid eis simile veniunt in compositionem hominis; ipsa vero elementa secundum substantiam dicuntur componere, non distinguendo, an formaliter, an virtualiter. Rursus dicuntur elementa componere hominem secundum substantiam non formalem, sed materialem, non tantum communem, scilicet materiam primam, sed propriam seu appropriatam. Elementa enim ex vi mixtionis alterata sic uniuntur in mixto, quod materiæ eorum transeunt in materiam mixti cum dispositionibus appropriatis illis elementis... ita quod illa elementa dicuntur prædominari in aliquo secundum substantiam seu qualitatem, de quorum materia disposita plus salvatur in mixto; illa vero secundum virtutem, de quorum vi plus salvatur in eo. Et hæc est directè mens hujus litteræ». Eodem modo locum hunc interpretantur P. Gregorius de Valentia, M. Bañez et Franciscus

(1) S. Thom., 1. p. quest. 91, art. 1. Hanc S. Doctoris argumentationem breviter eleganterque complexus est insignis ejus interpret P. Greg. de Valentia, t. 1, disp. 7, q. 1, punct. 1.

Sylvius: et negari nequit, si doctrinam Angelici fuse expositam consideres, solutionem hanc omnino satisfacere.

Objic. 3.^º S. Thomas existentiam *virtualem* in mixto non accipit pro mere *potentiali*, sed pro existentia *actuali et reali*. Ergo nullo modo formæ substantiales elementorum destructæ in combinatione sunt. Antec. probatur. Nam si formæ elementares non existerent *virtualiter* nisi eatenus, quatenus materia compositi potest eas recipere post mixti resolutionem, formæ elementorum non magis existerent in composito, quam forma compositi in elementis; in ea enim explicatione tam in mixto, quam in elementis, non esset nisi materia prima affecta et determinata per unam solam formam substantialem, et proinde *passive indifferens ac potens* ad recipiendas alias formas, nimirum materia mixti ad recipiendas formas elementorum, et materiæ elementorum ad formam mixti. Atqui, ut constat ex Angelico Doctore, aliter existunt formæ elementorum in mixto, quam forma mixti in elementis (1). Ergo per virtuales existentiam non debet intelligi sola potentialis, sed actualis et realis, in qua nimirum formæ substantiales elementorum salventur.

Resp. dist. assertum quoad primam partem. Existentia *virtualis* ex mente Aquinatis non debet sumi pro mere potentiali, id est pro *passive* potentiali, ut supra explicatum est, *conc.*; pro quodammodo *active* potentiali, ut pariter declaratum est, *neg.*

Similiter dist. 2.^{am} partem asserti. Existentia *virtualis* æquivaleret ex Angelico existentia actuali et reali secundum formam etiam substantialem elementorum, *neg.*; secundum

(1) En verba Aquinatis: *In carne enim et ligno et in quolibet talium corporum. scilicet mixtorum, ignis et terra sunt in potentia, quia scilicet per quamdam alterationem, ex igne et terra et aliis hujusmodi prædicta corpora componuntur. Et hoc manifestum est ex ipsa segregatione, qua corpora mixta in hujusmodi simplicia resolvuntur...* Lib. 3 de Cælo et Mundo lect. 8.—Et paulo inferius loquens de elementis: *In igne neque caro neque lignum inest, sive secundum potentiam sive secundum actum. Cujus signum assumit (Aristoteles) ad hoc, quod si caro et lignum essent in igne, ignis resolveretur in ista, quod nullo modo apparet: generatur enim ex igne caro, aut lignum non per resolutionem, sed per adjunctionem aliorum corporum simplicium simul admixtione coalteratorum (forte coalteratorum) Ibid.*

materiam affectam iis viribus et qualitatibus, quæ possint in compositi resolutione actionem naturalium causarum determinare ad productionem certarum formarum elementarium, *conc.* Quæ omnia cum in hoc tum in præcedenti articulo satis declarata sunt. Et ex his ruit tota probationis machina, quæ in duplici falso supposito nititur: primum in eo quod existimetur a nobis virtuales existentiam capi, quasi idem sonaret, ac mera possibilitas existendi. Quod si qui sententiæ nostræ patroni sic rem intellexerunt, nos non debemus talium errorum patrocinium suscipere. Alterum falsum suppositum est, quod non statuatur medium inter *virtuales* hanc perperam intellectam existentiam, et *realem* et *actuales*, quæ *formali* æquivalet; cum ex doctrina S. Thomæ detur illa tertia existentia quodammodo realis et quodammodo non realis; *realis* et *actualis* elementorum *existentia* quoad materiam et virtutes elementorum temperatas et alteratas, et *non realis nec actualis* quoad formas elementorum, quæ jam periire in mixtione.

Hanc porro esse germanam Aquinatis doctrinam fuse probavimus superius, et insuper ex objecto etiam loco patet. Ibi enim ex altera parte dicitur elementa in mixto esse *in potentia*, ex altera vero parte mixtum in elementis *nec in potentia nec in actu* inesse dicitur. Hæc sola oppositio satis per se suadet S. Thomam, cum scripsit hic elementa *esse in potentia*, exclusive locutum fuisse, quatenus significare voluisset illa esse dumtaxat *in potentia*, non vero *in actu*. Verum si quod adhuc dubium in hac interpretatione superest, illud omnino excludunt verba, quæ S. Doctor statim subnectit. Cum enim dixisset ab Aristotele *potentialem* elementorum existentiam in mixto probari *ex ipsa segregatione*, qua corpora mixta in hujusmodi simplicia resolvuntur; ne quis ex voce, *segregatione*, ansam acciperet Philosophi doctrinam perperam intelligendi, eam sic exponit: *Utitur autem* (Aristoteles) *hic large segregatione, quæ proprie fit in ea quæ insunt actu*. Si ergo segregatio proprie sumpta non est nisi eorum, quæ *sunt actu*, et si cum compositio mixti ex elementis dicitur patere ex segregatione elementorum in mixti resolutione, vox *segregatio* non proprie, sed large accipienda est ex Aquinatis interpretatione; procul dubio S. Doctor etiam hoc

ipso in loco prespicue suam mentem aperuit atomistarum expositioni contrariam.

Objic. 4.^o S. Thomas hanc statuit differentiam inter elementa, ex quibus aliquid fit, et quodlibet corpus, ex quo fit aliud, non tamquam ex elemento, sed per transmutationem substantialem in illud; nimirum quod elementa *oportet aliquo modo manere*, et non omnino corrumpi, secus ac reliqua corpora, quæ non per mixtionem, sed per transmutationem convertuntur in aliud (1). Ergo Angelicus Doctor non censuit elementa in mixto substantialiter mutari, suamque essentiam amittere.

Resp. *neg.* conseq.; et patet ratio ex supra dictis.

Objic. 5.^o In opusculo de *Quatuor oppositis* plura repertiuntur cum nostra interpretatione pugnantia. Nam ex Aquinate; *α) cum simplex elementum sit ultimum, in quod resolvitur mixtum, necessario simplex elementum fuit primum in ejus constitutione, non tamquam potentia tantum, sed sicut illud, cujus virtus in ipso manet.* Deinde *β) sive cum ex vivo fit mortuum, sive cum ex mixto fit simplex elementum...*, utrumque fit per virtutem formarum elementorum, quæ manent in mixto, secundum Philosophum (2).

Resp. *neg.* assertum; et probationem *dist.* per partes. Et primo quidam *distinguo* membrum *α)*. Et S. Thomas per verba *non tamquam potentia tantum* etc., voluit excludere solam potentiam objectivam aut passivam, id est voluit significare elementa non esse in composito solum in potentia objectiva vel in mera possibilitate, *conc.*; secus, *neg.* Si enim voluit docere *formalem existentiam* elementorum, cur scripsit elementa inesse mixto sicut illud, cujus virtus in ipso manet, aut aliud simile?

Distinguo pariter membrum *β)*. Et antecedens illius relativi, *quæ manent*, est vox *formarum*, ita ut sensus sit

(1) *Panis est materia sanguinis, sed non generatur sanguis, nisi corrumpatur panis; unde panis non remanet in sanguine, unde panis non est elementum sanguinis. Sed elementa oportet aliquo modo manere, cum non omnino corrumpantur, ut dicitur in lib. de Generat. S. Thom. Opusc. de Principiis naturæ, in fine, ubi explicatur definitio elementi.*

(2) *Opusc. de Quatuor oppositis, cap. 5, circa medium.*

formas elementorum manere in mixto, neg. Et antecedens est vox elementorum, ita ut sensus sit resolutionem chemicam fieri per virtutem formarum elementorum, quæ elementa non secundum suas formas, sed solum secundum virtutes maneant, ut sexcentis in locis docet Angelicus, conc. Resque liquet ex his verbis, quæ ibidem mox consequuntur: *Ex quo patet, quod virtus formæ elementaris dominantis in mixto habet non solum solvere mixtum, et inducere propriam formam talis elementi, sed transmutare mixtum de una proportione in aliam, quosque in ipsam formam propriam deveniatur.* Si S. Thomas censuisset, formas elementorum remanere in mixto, quomodo scribere potuit virtutem formæ elementaris esse illam, quæ soluto mixto inducat formam talis elementi? Quod enim jam actu existit, non debet per destructionem alterius induci, nec est opus successivarum transmutationum ab una in aliam proportionem, ut ad illud deveniatur.

Reliquus loci contextus etiam rem evincit: sed sufficit hæc declaratio.

Objic. 6.^o Doctor Angelicus alibi (1) quærens, *utrum duo corpora possint esse, vel intelligi simul in eodem loco*, hanc sibi objicit ordine sextam difficultatem: *Elementa in mixto non sunt corrupta... Sed omnia quatuor elementa sunt corpora, et simul sunt in qualibet parte mixti. Ergo possibile est duo corpora simul esse in eodem loco.*

Cui objectioni sic respondet S. Thomas: *Ad sextum dicendum, quod etsi ponantur elementa in corpore mixto remanere secundum suas formas substantiales, non tamen ponitur esse plura corpora actu, alias nullum corpus mixtum esset vere unum; sed est plura potentia et unum actu. Probabilior tamen videtur opinio Commentatoris (3 de Cælo et Mundo), qui hanc opinionem Avicennæ improbens, ait elementorum formas in mixto non remanere, nec totaliter corrumpi, sed fieri ex eis unam mediam formam, in quantum suscipiunt magis et minus. Sed cum formæ substantiali suscipere magis et minus sit absolum, videtur ejus dictum intelligendum hoc modo, quod*

(1) In Opusc. in lib. Boetii de Trinitate, quæst. 4. de his, quæ ad causam pluralitatis pertinent, art. 3.

formæ elementorum suscipiunt magis et minus non secundum se, sed secundum quod manent virtute in qualitatibus elementaribus, quasi in propriis instrumentis, ut sic dicatur: Formæ secundum se non remanent, sed solum prout sunt virtute in suis qualitatibus. Qua in responsione, ut vides, S. Doctor dicit etiamsi ponantur formæ elementorum actu et in se existentes, non ideo mixtum esse plura actu.

Resp. 1.^o Concedo totum, et neg. conseq. Ex objecto enim loco id unum eruitur, Aquinatem, cum hæc scripsit, mitius quidem egisse cum Avicenna et Averrøe, minime autem sententiam suam de virtuali tantum elementorum existentia deseruisse. Mitius egit hic cum Avicenna, tum quia ejus opinionem minus probabilem opinione Commentatoris, quam tamen in *Summa Theologica*, et *Quodlibeto* primo (1) magis impossibilem vocaverat; tum etiam quia in hoc loco videtur existimare, dari posse mixtionem et simul salvari unitatem mixti, licet ponantur elementa cum formis suis existentia, quam doctrinam expresse negavit, exinde argumentum sæpe ducens adversus Avicennam (2). Mitius egit etiam cum Averrøe, quem benigne interpretatus hic est, quasi non docuisset formalem elementorum perseverantiam, cum tamen in reliquis locis contrario modo illius doctrinam explicaverit, idcirco eam appellans *multipliciter improbabilem*, atque etiam *ridiculam*. Non autem sententiam suam alias sæpe traditam, hic desuerit S. Doctor, ut nimis clare ostendunt illa verba: *Formæ secundum se non remanent, sed solum prout sunt virtute in suis qualitatibus.*

Objic. 7.^o Saltem opinione Avicennæ usus est S. Thomas, cum de illa controversia disputaret, num sine ulla forma creata fuerit materia initio mundi. Ibi enim docet materiam non modo non fuisse absque ulla forma creatam, quin potius creatam sub multis formis (3)

(1) Loc. citatis in probationibus.

(2) Nimirum 1 p., q. 76, a. 4; *Quodlibet*. 1, quæst. 4, a. 6; lib. 1, de Gen. et Cor.; de Mixtion. element.

(3) Tenendo, inquit, viam aliorum Sanctorum, qui ponunt successionem in operibus sex dierum, videtur mihi dicendum, quod prima materia sui creata sub pluribus formis substantialibus... Sed dico quod

Resp. *dist.* assertum. S. Thomas usus fuit opinione Avicennæ, in eo quod docebat formas elementorum in mixto remanere *neg.*; in eo quod docebat in mixto, licet inessent integræ elementorum formæ, deesse tamen virtutes et qualitates talibus formis respondentes, *conc.* Quemadmodum censet S. Doctor (1), duo docebat Avicenna: α) formas elementorum integras remanere in mixto; β) virtutes formarum proprias integras in suo vigore non remanere. Si ergo S. Thomas primum caput sententiæ Avicennæ in objecto loco secutus fuisset, certe contraxisset doctrinæ, quam alias semper, ut hactenus vidimus, exposuit. Itane vero res habet? Minime sane; sed alterum tantum caput doctrinæ Avicennianæ adhibuit in objecto loco ex libro secundo *Distinctionum*. Quod ut clare perspicias, nota in omnibus nuper laudatis locis id sibi propositum habuisse Aquinatem, ut in creatione mundi distingueret *opus creationis et opus distinctionis et ornatus: ad opus creationis pertinet producere ipsam elementorum substantiam; ad opus autem distinctionis et ornatus pertinet formare aliqua ex præexistentibus elementis* (2). Et secundum hæc duo creationis momenta seu status, vult Aquinas primo creatam fuisse materiam sub pluribus formis, ita tamen ut materia illa sub illis formis nondum haberet vires et qualitates convenientes talibus formis, quarum ope virium perfectiora dein gignerentur corpora; en opus

virtutes activæ et passivæ nondum in principio partibus mundi collatæ fuerant, secundum quas postmodum distingui et ordinari dicuntur. Et hoc esse possibile patet, si suscinere volumus opinionem Avicennæ, qui ponit elementa in mixto remanere secundum formas substantiales quantum ad primum esse, transmutari autem ad secundum, scilicet quantum ad qualitates activas et passivas; est enim mixto miscibilium alteratorum unio. Unde possibile est materiam esse sub forma substantiali, sine hoc quod habeat qualitates activas et passivas in sui complemento. 2.^o Dist. 12, quæst. 1, art. 4. Similia habeatur in 2.^o Dist. 13, a. 1 ad 2.^{um} Per opus creationis principia mundi distincta sunt quantum ad esse primum, quod est per formas substantiales; sed oportuit advenire opus distinctionis, ut distinguerentur etiam quantum ad agere et pati, secundum diversas virtutes rebus collatas.

(1) Vide locum I p., q. 76, a. 4 ad 4.^{um}, sup. cit.

(2) I p., q. 68, art. 1 in corp. Secundum igitur primam opinionem.

creationis (1) Postea vero successu temporis indidit Deus illi materiæ qualitates formarum primitivarum proprias et ita successive perfectiora et perfectiora corpora prodierunt: en opus distinctionis et ornatus (2).

Hac porro præmissa doctrina, inducit S. Thomas opinionem Avicennæ: *Et hoc esse possibile patet...* (3). Jam vero manifestum nunc est, ea opinione uti non potuisse Angelicum, nisi ad declarandum, quomodo materia sub primis illis formis esset in primo statu creationis, nimirum sine propriis virtutibus activis et passivis, quæ posterius a Deo sint impressæ; non vero opinionem illam laudasse ad hoc, ut etiam approbaret id, quod continet circa *formalem* elementorum existentia in mixto. Id, inquam, patet. Nam 1.^o in toto contextu impertinens est ad propositum approbatio doctrinæ Avicennæ secundum modum formalis existentie elementorum in composito; e contrario vero valde conducit ad aliquam rei illustrationem comparatio ejusdem doctrinæ secundum modum, secundum quem virtutes talium formarum reperiuntur. 2.^o Quia ex Avicennianæ doctrinæ usu hoc solum concludit S. Thomas: *Unde possibile est materiam esse sub forma substantiali sine hoc, quod habeat qualitates activas et passivas in sui complemento: et sic cum esse primum* (i. e. substantiale) *naturaliter præcedat esse secundum* (i. e. accidentale, ad quod spectant virtutes activæ) *expressus est ordo naturæ in successione temporis, dum res prius fiunt in esse primo, quam periciantur in esse secundo.* Si S. Thomas

(1) Ibid.

(2) Quantum ergo ad esse ipsorum principiorum sumitur opus creationis, per quod substantia elementorum mundi in esse producta est. Sed virtutum activarum et passivarum quedam sunt moventes ad determinatas species, ut virtus quæ est in semine leonis et equi: quedam vero sunt communes moventes ad omnem speciem, ut calidum, frigidum et hujusmodi. Per opus ergo distinctionis attributa sunt rebus virtutes activæ et passivæ communes, moventes ad omnem speciem; sed per opus ornatus collatæ sunt rebus virtutes moventes ad determinatas species. 2.^o Dist. 13, q. 1, art. 1, in corp. Eandem doctrinam reperies I p., quæst. 68, art. 1, in 1, in corp.; quæst. 74, art. 2, in corp.; 2.^o dist. 12, quæst. 1, art. 4; dist. 13, quæst. 1, art. 1, in solutione difficultatum.

(3) 2.^o Dist. 12, quæst. 1, a. 4.

voluit doctrinam arabis Philosophi quoad utramque partem approbare atque adhibere, cur in sua argumentatione præmittit alterutram, et alteram tantum applicat suo instituto? 3.^o Est expressa doctrina Doctoris Angelici, in eo primo statu materiam nulla mixti forma esse affectam, sed solis formis elementaribus (1). Igitur materia sub pluribus illis formis non effiebat massam quamdam ingentem corporis mixti elementa sua formaliter in se continentis; sed acervum potius indigestum elementorum, ex quibus per virtutes mox à Deo communicandas mixta gignerentur. Non potuit ergo Angelicus opinionem Avicennæ quoad modum, secundum quem elementa insunt in composito, aut approbare, aut approbatam in suæ doctrinæ illustrationem laudare. Aliam objecti loci solutionem adhibet Em. Cardinalis Zigliara, in suo opere *de Mente Concilii Viennensis* (2).

(1) In 2.^o dist. 12, quæst. 1. art. 4 hanc sibi tertio loco proponit difficultatem: *Si illa materia* (in primo creationis statu) *formam aliquam habebat; aut habebat formam corporis mixti aut corporis simplicis, etc.* Et respondet: *Ad tertium dicendum, quod non habebat unam formam, sed plures, non quidem corporum mixtorum, quia hæc consequuntur virtutes activas et passivas principiorum mundi, ex quibus integratur.* Ita etiam 2.^o dist. 13 quæst. 1. a. 1 in corp.; 1. p. quæst. 68, a., in corp.; 1. p. quæst. 74, a. 2, in corp., et art. 3.

(2) Ex his judicare poteris, quam infelicitè mentem Aquinatis interpretatus sit cl. Frédault hæc verbis: «Il (S. Thomas) accepta donc avec Aristote que dans les composés les éléments entrent *in virtute, non in actu.* Mais que veulent dire ces deux mots? Pour les Thomistes, ses disciples, cela voudrait dire que les éléments perdent leur principe d'être; et, de là, toutes les difficultés sur la matière première, qui serait *in potentia simplex, or in potentia pura*, ou autre chose. C'est une logomachie. Il me parait absolument impossible que saint Thomas eût jamais eu ces visées, et qu'il ait pu entendre que les éléments matériels, en devenant le corps, perdent leur être, pas plus que le marbre perde son être en devenant statue! Je m'explique bien mieux ses expressions en entendant qu'il aura voulu dire que la matière passe sous la puissance d'un autre principe qui se la subordonne et s'en fait une puissance; de sorte que les actes qu'elle va produire sous ce principe ne sont point ses actes propres, mais des actions qu'elle accomplit en raison de l'union qu'elle contracte. Dans ces sens, la matière première est *in virtute* dans les substances matérielles, et ces substances sont *in virtute* dans le corps vivant... Mais cela ne peut vouloir dire que l'être matériel perde son être en passant sous l'empreinte d'une forme substantielle...?»

CAPUT II.

EXCLUDUNTUR FALSA
SYSTEMATA.

Quæ hactenus declaravimus, viam nobis sternent ad resolutionem propositæ controversiæ circa essentialē corporum constitutionem. Cum de corporum constitutione sententiæ ad tres omnino revocari generatim possint, ad *atomismum* nempe, *dynamismum* et *hylomorphismum* seu doctrinam peripateticam, de singulis ex ordine agendum.

ARTICULUS I.

Exponitur atomismus.

140. Atomismus est eorum systema, qui censent corpora componi ex atomis seu corpusculis in unum congregatis: unde et *corpularis doctrinæ* apud veteres nactus est appellationem. Constitutio ergo corporis in hac sententia ita explicatur, ut atomi ejusdem speciei ad certam minutissimam distantiam conglobatæ in moleculas *elementares* aut *integrantes*, ut quidam eas appellant, corpora simplicia efficiant: atomi autem diversarum specierum in moleculas *constituentes* aut *chimicas*, ut alii malunt eas nominare, coalescant; atque ex variis ejusmodi moleculatum, invicem dissitarum turmis corpora tandem composita existant. Quare sicut moleculæ sunt aggregationes variarum atomorum, ita corpora ipsa, quæ nobis conspicienda obversantur, non sunt aliud nisi acervus et congeries molecularum. Quamobrem essentia corporum compositorum pendet ab elementorum essentia, ex quorum intima coagmentatione conflantur; essentia vero corporum simplicium stat in natura propria atomorum (1).

(1) Cfr. P. Tong., *Cosmolog.*, n. 45, 2.^{us}; cl. Provenzani, *Op. cit.*, p. 9, *Theoria atomica.*